



320  
20

Z. n. 18.



18. iij.

21

ILLUSTRIS  
AUGUSTEI  
NATALEM LIX.

EX  
PIENTISSIMO  
DIVI AUGUSTI FUNDATORIS  
INSTITUTO

ET  
NUTU CLEMENTISSIMO  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI  
CHRISTIANI

DUCIS SAXONIÆ; JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM, AN-  
GARLE ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS  
MISNIÆ, NEC NON UTRIUSQUE LUSATIÆ, COMITIS PRINCIPIS HENNE-  
BERGÆ, COMITIS MARCÆ, RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ, DYNA-  
STIÆ RAVENSTEINII &c. &c. &c.

DOMINI ET NUTRICII NOSTRI CLEMENTISSIMI AC  
MUNIFICENTISSIMI

AUGUSTE SANCTEQUE CELEBRANDUM  
INDICIT

ET AD  
ORATIONEM SOLEMNEM

*D. II. NOV. A. O. R. M DCC XXII.*

IN AUDITORIO ILL. AUGUSTEI MAJORI  
AUDIENDAM

ILLUSTRES SERENISSIMÆ AULÆ MINI-  
STROS, UTRIUSQUE REIPUBL. PROCERES, LITERARUM-  
QUE FAUTORES ET AMATORES UNA CUM

ILL. AUGUSTEI CIVIBUS  
OBSERVANTISSIME HUMANISSIMEQUE

INVITAT  
M. CHRISTIANUS REINECCIUS

SS. TH. BACC. CONSIL. SAX. ILL. AUG. RECTOR ET P. P.

\* \* \* \* \*



**I**N antiquissimis Gentibus *Aegyptiorum & Graecorum* nationes *Hebraeis* in literarum cultura palmam praeripuisse communi plurium Doctorum consensu traditur. Idque ingeniosissimus Theoriae Novae Telluris Conditor *THOMAS BURNETIUS* in Archæolog. Phil. l. 1. c. 7. confirmaturus inquit: *Quem unquam Graecorum legimus aduisse Judæam ad capiendum ingenium cultum? quem non in Aegyptum descendisse? Notum est in*

*disciplinis Mathematicis aut Philosophicis nunquam praecluisse hanc gentem, neque in ceterarum artium studiis, aut id genus ullo humani ingenii factu. Quae autem apud ipsos erant schola & Academia pristina non tam ad Encyclopaediae studia, ut solent hodie, formatae & compositae erant, quam ad religionis instituta & dona Prophetica imbibenda &c. Cui hoc facile largimur, quod scholae Hebraeorum aequae ac aliorum populorum antiquitas non tam ad Encyclopaediae studia, ut hodie fieri solet, quam ad religionis instituta & sacra studia imbibenda formatae ac compositae fuerint. Neque tamen hoc Hebraeis vitio verendum est, quod Religionis curam & sacrarum literarum notitiam in scholis suis anteponendam duxerint reliquis Scientiis humanis omnibus. Siquidem hoc Deus & sana ratio postulat & dicitur: nec penitus ipsi Aegyptii & Graeci suorum Sacrorum studia neglexisse in scholis dici possunt. Eapropter autem, ut his studia humanarum scientiarum abjudicanda non sunt, ita nec Hebraeis. In his enim non modo excelluisse Hebraeos complures novimus, sed & inventores artium exitus omnium felicissimos & primos, quippe qui oraculis Divinis adjuti fuerunt & fructi speciali Dei gratia & directione. Hinc à prima aetate, Gentis Hebraeae Majores suas habuisse scholas, quibus ipsi Patres familias praefuerunt, negari non potest. Nam sicut Adamus omnes à se genitos rexisse creditur, ita eosdem & docuisse omni jure censefer. Huic pertinent, quae Judaei in הקבלה לשלמה tradunt שבדרך אין ספק טבע בלהאבות מבקשים שישלמו בניהם כמותם ויותר כפי האפשרות אם כן אדם מביע בלהאבות את כל חכמתו או שם בנה i. e. Non est dubium, quin naturali inclinatione omnes Patres studeant perficere filios suos sibi similes, aut si fieri potest meliores. Quod si ita se habet, Adam tradidit omnem sapientiam filio suo Setho. Idemque de Setho, Enos corumque posteris sentiendum est. Quousque vero Antediluviana aetate in literis & artibus profecerint antiqui, monumentis destituti coaevis & testimoniis indubiis determinare non possumus, quae vero hanc in rem congesta ab eruditissimis sunt, legi poterunt apud *Th. Bangium, A. Kircherum, Jac. Typotium, Ol. Borrichium, J. Heideggerum, G. Fockeroatum* & alios passim. Praeter sacra vero, studuisse hujus aevi homines etiam scientiis & artibus humanis, certum est ex Gen. 4, 20. 21. 22., ubi & ipsi Inventores & Doctores scientiarum & artium appellantur. Sed post diluvium has ipsas artes & scientias Noachus & Filii ejus, Eberus, Abrahamus &c. non retinuerunt modo, sed & novas invenerunt & docuerunt. Sic Tentoria Semi Gen. 9, 27. Scholam interpretatur *Chaldeus*. Et de Abrahamo testatur *Fl. Josephus* l. 1. Antiqv. Hebr. c. 9. quod primum cum Phoenicibus & deinceps cum Aegyptiis scientias communicaverit. Ut silicet plura quae de Abrahamo legi apud *Suidam* possunt, Jacobum in *Succoth* בית מדרש *Scholam* crexisse ex *Jonathane* asserit *Jac. Altingius* in *Hist. Acad. Hebr.* Quo v. magis post exitum ex Aegypto tempore *Mosis & Josuae* Populus Hebraeus auctus*

auctus est & amplissimas terras accepit, indiesque in maiorem numerum crevit, eo majora inter Hebræos incrementa acceperunt quoque studia, tum sacra tum profana. Adeo ut civitates à cultu literarum nomina sæpe sua acceperint diuque retinuerint. Inter XLVIII. civitates, quæ datæ sunt Levitis & in quibus scholæ fuerint erectæ, præcipue jam memorari meretur קריית ספר *Kirjath Sepher*, πόλις γραμμάτων, *urbs literarum*, quæ & דביר *Debbir*, *Adytum* δαδνηθῶν, *Locutorium* dicta fuit, nec non קריית סנא *Kirjath Sanna*, *Urbs acuminis & argutorum studiorum*, si סנא dicatur exר. שן, unde *dicterium*, dictum acutum & argutum, aut *urbs mundationis* se, mundata, purgata & liberata à barbarie & profanis mentibus, si Chald. כן *percolavit, purgavit*, attendamus; aut *Urbs Traditionum & statutorum Legis*, prouti סנה & hodie Arabibus *traditio* est, & responderet Judæorum משה & sono & significatione. Nam quod *Mischna, oralis traditio* apud Judæos est, illud *Sanna* est apud Turæas Muhammedis sectatores, sc. *Lex oralis*, in qua uberius dicta & facta Muhammedis, in Alcorano non memorata, nec non totius Religionis Jura sacra & civilia exponuntur. Unde etiam *Pandectarum* nomine *Sanna* venit. Quæ omnia, quantum nomina indicant, Urbem fuisse *Kirjath Sepher*, in qua Literarum Studia vignerint, plane arguunt. Quod ipsum quoque testatur *Eusebius* in suo *Onomastico* Urbium & Locorum Scripturæ S. scribens: *δαβίρη, Φυλῆς Ἰδῶν, πόλις καλεῖται γραμμάτων, ἢ πεκατελῶβη Γοθμῆλ ἀδελφῆς Καλῆβ, υἱῆς ἀνελων τῆς Ἐρακίμ ἕξ ἀδελφῆς, ἢ γέγονεν ἰερατικῶν.* Ad quæ verba annotavit *Bonslevrius*: dicitur *Dabir à loquendo vel eloquendo*, quasi ibi Eloquentiæ locus vel Gymnasium esset, sicut in aliud urbis nomen indicat, civitas literarum. Et *Mosius* in *Bibl. Crit.* ad *Jos. XV.* commentatur p. 1792. appellatam olim esse קריית ספר *Cariath Sepher* h. e. *Literarum* aut *Librorum urbem*, quia priscorum Patrum veluti Archivum i. Tabellariam fuerit, in quo multa vetustatis monimenta post orbis diluvium reposita, cum in vicina Hebrone homines illi primi habitarent. Est enim Hebron *Dabiræ* propinqua urbs, antiquior *Tani* Ægyptiorum annis septem, ut diximus, h. e. omnium urbium vetustissima. Et sane huic rei vehementer congruit ipsum quoque nomen דביר *Dabir*. Significat enim id *locum secretissimum* & veluti *sacrosanctum* atque *penetrabile adytum* qualia profecto habentur τὰ ἀρχαία & Tabellaria. Atque hæc scio, annon Chaldæus hoc ipsum dicere voluerit, cum pro קריית ספר redderet קריית ארכי *Cariath arche*. Mihi certe verbo ארכי *Græcorum ἀρχαία* videtur representare ille voluisse. Eodemque collimant, quæ *Serarius* aliique sacrarum Literarum Interpretes & Commentatores ad loca illa *Josue* & *Judicum* in quibus hujus urbis nomen occurrit, annotarunt, Quibus & suam adjecit conjecturam *S. Schmidius* *Com.* in *Indic.* t. p. 77. de fabrica membranarum, papyrorum aut cujuscunque tum usitate materia, in quibus scribi & ex quibus volumina Librorum confici solebant, Urbem fuisse *Rei Literariæ* inservientem facile omnes consentiunt. Tales vero Civitates, scholæ & synagogæ in *Republ. Hebræorum* constituta & confirmata subsequenti ætate adeo adauctæ sunt, ut in una civitate sæpe plures fuerint & in urbe *Hierosolymorum* CCCCLXXX. *Synagogæ* à *Judæis* numerentur, in quibus singulis & *Bibliothecæ* fuerint. Quæ omnia fati evincunt ab antiquissimis temporibus Hebræos eorumque Genitores non alienos fuisse à literarum, scientiarum & artium cultura, sed sub divina directione & gratia tales se præstitisse in omni scientiarum genere, à quibus Ethnici multa didicerint. Nam *HERMES TRISMEGISTUS* inter *Ægyptios* Hebræus fuisse creditur. *ZORASTER* inter *Perfas* summus *Magorum* præfectus ipse putatur

putatur fuisse Daniel. *PYTHAGORAM* inter Judæos versatum testantur Scriptores Ethnici V. *Jamblichus* in Vita Pythagoræ; & *Numenius* Pythagoreus apud *Eusebium* in præpar. Ev. l. n. c. 10. *PLATONEM* sua à Judæis accepisse scribit, idemque de *ARISTOTELE* ex *Clearcho* Solenserefert *Eusebius* l. c. l. 9. c. 5. 6., quod & de aliis aliî produnt, & forte plures fuissent, si per Hebræorum sacra fuissent admisi. Nihil ergo obstat, quo minus Hebræos olim in cultu literarum & scientiarum palmam dubiam reddidisse *Ægyptiis* aliisque nationibus censeamus, & in artibus plurimis præripuisse. Quod hodieque de Christianis oleæ inferis constat omnibus, Ipsique Reges & Principes Orbis Christiani hoc eloquuntur erectis & amplificatis Scholis, Gymnasiis & Academiis. Inter hos *Primas Germaniæ, Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus AUGUSTUS, Archiepiscopus Magdeburgici* Postulatus Administrator *Dux Saxonie, Julie, Clivie ac Montium, Angaria & Westphaliæ* &c. &c. &c. nomen suum profiteretur. Is hanc urbem קריית ספר Kirjat b Sepher, urbem Literarum & scientiarum effecit, & hoc Illustre *AUGUSTEUM* in ea condidit, idemque à nomine suo *AUGUSTO* appellavit, multis beneficiis ornavit & Die 1. Novemb. A. O. R. 1664. solenniter inauguravit. Hujus Augustissimi beneficii omnino nos memores esse decet. Dicta dies est 1. Nov., qua DEUM in Ill. Augusteo nostro de hoc beneficio celebrabimus, & erabimus ut Ill. Augustei Fundatorem **DIVUM AUGUSTUM**, gl. m. Principem & Augustos Augustei Tutores & Conservatores & in cœlis exhiberet infinita gaudiorum accessione, & in terris nostrum inprimis **CHRISTIANUM**, Serenissimum ac Clementissimum Nutritorem Ill. Augustei adhuc diutissime servet & sospitet & Divina sua Gratia impleat. Divum *AUGUSTUM* vero verè nomine omine & re *Augustum* anniversaria nostra oratione representabimus, ejusque Augustissimam Munificentiam grata commemoratione recolemus. Huic igitur solenniter contestandæ Pietatis Actui, ut *Illustres Aule Serenissimæ Ministri, Utriusque Reipubl. Proceres, Studiorumque Fautores & Promotores*, quibus felicitas Illustris Augustei curæ cordique est, gratiose benigneque inter sint, rogo atque obtestor. De prompta *AUGUSTORUM STUDIOSORUM* frequentia tanto certior sum, quanto alacrior ipsorum animus in explendis Munificentissimi Principis ac Nutritoris mandatis, propriisque commodis promovendis semper extitit. P. P. d. 25. Octobr.

M DCC XXII.

LEUCOPETRÆ,

Literis G. A. Legii, Aul. & August. Typogr.

Nr 885.  
40

ULB Halle  
001 556 347



3

So.

Witt

2. C.







ILLUSTRIS  
AUGUSTEI  
NATALEM LIX.

EX  
PIENTISSIMO  
DIVI AUGUSTI FUNDATORIS  
INSTITUTO

ET  
NUTU CLEMENTISSIMO  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI  
CHRISTIANI

DUCIS SAXONIÆ; JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM, AN-  
GARLE ET WESTPHALLÆ, LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS  
MISNIÆ, NEC NON UTRIUQUE LUSATIÆ, COMITIS PRINCIPIS HENNE-  
BERGÆ, COMITIS MARCÆ, RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ, DYNA-  
STÆ RAVENSTEINIÏ &c. &c. &c.

DOMINI ET NUTRICII NOSTRI CLEMENTISSIMI AC  
MUNIFICENTISSIMI  
AUGUSTE SANCTEQUE CELEBRANDUM  
INDICIT  
ET AD

ORATIONEM SOLENNEM

D. II. NOV. A. O. R. MDCCXXII.

IN AUDITORIO ILL. AUGUSTEI MAJORI  
AUDIENDAM

ILLUSTRES SERENISSIMÆ AULÆ MINI-  
STROS, UTRIUQUE REIPUBL. PROCERES, LITERARUM-  
QUE FAUTORES ET AMATORES UNA CUM  
ILL. AUGUSTEI CIVIBUS  
OBSERVANTISSIME HUMANISSIMEQUE

INVITAT  
M. CHRISTIANUS REINECCIUS

SS. TH. BACC. CONSIL. SAX. ILL. AUG. RECTOR ET P.

